

deinde omnino violenter a Pharaone aufugiendo; sic enim ille insequens eos in mari rubro sanctissimi Sanguinis Christi submergetur. EXOD. v. 9.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Philosophi quidem hominem definiunt rationale animal; at rectius alii aiunt, esse ipsam inconstantiam, ut qui, Job teste, nunquam in eodem statu permanet. DREX. in *Rhet. cœl.* l. I, c. III, § 1.

Prisci Patres in Ægypto dicere solebant: Homo orationis amans cœcus, mutus, et surdus esse debet, neque oculos alio vertat, nec sermones importunos misceat, nec strepitus molestos, garritionumve susurros, audiat. Ibid. § 2.

Plutarcus censet a Numa Rege profectum illud: *Adoraturū sedeant.* Ut monerentur tumultus cogitationum ejicere, et uni Deo attendere. Ita David Rex sedit coram Domino. DREX. l. c. vi, § 1.

Quod S. Paulus de charitate, hoc non incommode de attentione et fervore orationis dicitur, nempe quod et si omnes libellos orationis recitando absolvam, fervorem autem et attentionem non habeam, nihil sum, et factus velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Unde S. Aug. Quam multi, ait, deprecantur Deum nec sentiunt Deum, nec bene cogitant de Deo. Sonum deprecationis habere possunt, vocem habere non possunt, quia ibi vita non est. S. AUG. in Ps. 139.

S. David suadet, ut effundamus cor nostrum in conspectu Domini sicut aquam, non sicut oleum; quia aqua non tam facile adheret vasi, sicut oleum; ut per hoc intelligeremus, cor nostrum penitus ad Deum migrare debere in oratione. DREX. l. c. c. III, § 1.

## AUCTORES.

Joannes Busæus, V. eod. in *Panario.*  
Jeremias Drexelius, in *Rhetorica cœlesti*, lib. I, cap. III et seqq.

Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum*, tract. II, lect. 8.

Antonius Daurellius, in *Catechismo histor.* cap. II. tit. 14.

## EUCARISTIA.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est Corpus et Sanguis Christi, sub speciebus panis et vini, cum anima et divinitate realiter et substantialiter existentis. CANISIUS, c. IV. de *Euch.* § 1.

Vocatur autem Eucharistia, id est, bona gratia, seu gratiarum actio, quia præcipuum et maximum Dei donum, ipsumque omnis gratiæ fontem et auctorem continet, summorumque nos bonorum admonet, pro quibus acceptis gratiarum actionem, laudem, et gloriam summam Deo summo debemus. Tria præcipue continet, species visibiles, Corporis et Sanguinis Domini veritatem, et spiritualis gratiæ virtutem. CANIS. § 2.

Quinque capita de ea potissimum sunt scienda. 1. Veritas illius. 2. Transsubstantiatio, seu panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi conversio. 3. Adoratio eidem debita. 4. Ejusdem oblatio et sacrificium. 5. Sumptio illius sub altera vel utraque specie. CANIS. § 3.

Finis illius triplex est, ab ipsa Ecclesia sequentibus verbis indicatus: O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et future gloriæ nobis pignus datur. Quem finem clarius explicavit Concilium Tridentinum his verbis: Salvator noster discussurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitiis sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilem suorum etc. Sess. XIII.

Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spirituales animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et tanquam adiutorium, quo liberemur a culpis quotidianis, et a culpis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit future nostræ gloriæ, et perpetuæ felicitatis; adeoque symbolum vivum illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos tanquam membra artissima fidei, spei, et charitatis connexionem adstrictos esse voluit.

## EX S. SCRIPTURA.

NECESSITAS. — Omnes sitiennes venite ad aquas; et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite; venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione, vinum et lac. ISAIÆ LV, 1.

Amen, amen, dico vobis: Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. JOAN. VI, 54.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. PSALM. CI, 5.

UTILITAS. — Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo. JOAN. VI, 56.

Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. I. COR. XI, 26.

Hic est panis de celo descendens. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. JOAN. VI, 50 et 52.

Qui manducat meam Carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. JOAN. VI, 55.

JUCUNDITAS. — Vincenti dabo manna absconditum. APOC. II, 37.

Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite, amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. CANT. v, 1.

Pro quibus Angelorum esca nutritivis populum tuum, et paratum panem de celo præstitisti sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem. SAP. XVI, 20.

Quid enim bonum, et quid pulchritudo ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virginis? ZACH. IX, 17.

DIGNITAS. — Calix meus inebrians quam præclarus est! PS. XXI, 5.

Hic est panis Angelorum de celo descendens. JOAN. VI, 50.

PRÆPARATIO. — Anima polluta, quæ ederet de carnis hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populo. LEV. VII, 20.

Leprosus, aut patiens fluxum seminis non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur. LEV. XXII, 4.

Nolite sanctum dare canibus; neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. MATTH. VII, 6.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? MATTH. XXIII, 12.

Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. I. COR. v, 8.

Non potestis mense Domini participes esse, et mensæ demoniorum. I. COR. x, 21.

Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. I. COR. XI, 39.

## EX SS. PATRIBUS ET DOCTORIBUS.

SUBSTANTIA ET QUALITAS. — Hoc Sacramentum non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris; nec honorum dispensationum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. S. AUG. de *Ecl. Dogm.*

Si tantum valuit sermo Eliæ, ut ignem de celo deposceret, non valebit sermo Christi, ut species elementorum mutetur? De totius mundi operibus legisti: Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Sermo igitur Christi, qui ex nihilo potuit facere, quod non erat, non potest ea, quæ sunt, mutare in illud, quod non sunt? Non enim minus est, novas rebus dare formas, quam mutare naturas. S. AMBR. I. III de *Sacram.*

Liquet, quia præter naturæ ordinem Virgo generavit, et hoc, quod conficimus Corpus, ex Virgine est. Quid queris naturæ ordinem in Christi Corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex Virgine? Ibid.

Sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substituerunt excelsa colorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, et servit effectus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quando quidem qui est auctor muneris, ipse etiam est testis veritatis. EUSEB. EMYSEN. hom. v de *Pasc.*

O ineffabilis dignitas conditoris! O stupor indicibilis charitatis! Quis non contremiscat? Quis non cum exultatione miretur? Sane nunquam fuisse homo ausus talia petere, sed neque cogitare; quoniam hoc miseri-



cordiæ opus omnem mortalium supereminet dignitatem. S. LAUR. JUST. *de Evch.*

Seipsum invenit homo propter infirmitatem, jacentem in stabulo. Stabulum enim quid est? Mundus est. Et propter pecorinam similitudinem indigens erat fœno, ea propter cibum celestis mutavit se in palubum pecoris, homine mutato in pecus. Panis Angelorum factus est fœnum, unicus Patris Filius hominis, Verbum quippe caro factum est, et, juxta Prophetam, omnis caro fœnum. S. BERNARDUS, *apud Mansi*, tr. XXVI, disc. XXXV, n. 5.

In Canone Missæ leguntur sequentia verba: Quam oblationem, Tu, Deus, in omnibus quæsumus benedicam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. Quæ verba S. Paschasius considerans ait: «Benedicam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in celo conscribamur; ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur, quatenus et nos per hoc, quia in nobis displicimus, acceptabiles eum ejus unico Filio simus. S. PASCHASIVS, *ser. de Corp et Sang. Dom.*

Pulchre se vocat granum frumenti, quia granum frumenti candidum est interius, et rubrum exterius, et Christus candidus dicitur respectu Divinitatis, et rubicundus in carne propter Passionem. Unde Sponsa in Canticis dicit, quod sit candidus et rubicundus. HUGO DE S. VICT. *Erad. Theol.* T. 3, *Spec. Eccl.* c. VII.

Eucharistia charitatis est symbolum. HIER. *ad Theod.*

NECESSITAS. — Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo, nisi error et infidelitas? Et populus Christianus erit quasi grex porcorum dispersus, et idololatriæ deditus, sicut expresse patet in cæteris infidelibus. S. BONAV. *apud Mansi*, disc. 1, n. 8.

Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est celeste et venerabile Sacramentum. S. AMBR. I. III, *de Sarram.*

Fiant fideles Corpus Christi, si volunt vivere de Spiritu Christi. De Spiritu Christi non vivit, nisi Corpus Christi. Vis et tu vivere de Spiritu Christi? in Corpore esto Christi. S. AUG. tr. II, in *Joon.*

Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia Corpore Christi et Sanguine

non armatur ad prælium, et mens deficit, quam non accepta Eucharistia erigit, et accendit. S. CYPRIANUS, in *ep. ad Cornelium Papam.*

UTILITAS. — Biberunt ex eo omnes; ebrietas felix, satiæ singularis, quæ quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem sumentibus donare dignatur! Et Judas bibit, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni; quia indigne sivit mysteria Christi. S. HIERON. *Super Lucam.*

Panis hic azymus cibus verus et sincerus per speciem et Sacramentum nos tacta sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat. Et sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita est corporis; ita panis iste supersubstantialis vita est animæ et sanitas mentis. S. CYPR. *ser. de Cæn. Dom.*

Duo præcipue in nobis hoc Sacramentum operatur, ut et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensus. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbo sentit iracundiæ motu, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori et Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo. S. CHRYS. hom. XLV, in *Joon.*

Tanquam leones ignem spirantes, ab illa mensa recedimus, terribiles diabolo effecti. S. CHRYS. I. *de Sacerd.*

Qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura conscientia fuerint participes, spiritum efflatur, ab Angelis illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacramentum, hinc recta ad cælum abducuntur. S. AUG. s. ccc de *Temp.*

Qui digne comedit hunc panem, qui est Corpus Christi, necesse est, ut moriatur præteritis, et vivat futuris. S. LEO, s. IV de *Pass. Dom.*

Non aliud agit participatio Corporis et Sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus. S. CYRILL. *Catech.* IV.

Sic Christiferi erimus, id est, Christum ferentes, cum ejus Corpus et Sanguinem in membra nostra receperimus, atque ita, ut B. Petrus dicit, divini nature consortes efficiamur. S. AUG. s. III de *Ver. Apost.*

Illum calicem bibere quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habebis vitam, et integra est vita. S. AUGUSTINUS, *ser. de Verb. Apost.*

Nec solum pro salute æterna datur, sed etiam pro temporali incolumitate, id est,

corporali sanitate; incolumitas enim dicitur sanitas et integritas, utraque enim sanitas ab illo est, animæ et corporis. REM. ALTRION. *de Celebrat. Miss.*

Est fons omnis gratiæ et virtutis. Unde Sacramentum hoc Eucharistia, id est bona gratia, nominatur; ideo Eccl. 24, ipsa Eucharistia de se ait «In me omnis gratia viæ et veritatis; in me omnis spes vite et virtutis.» S. BERN. tr. II, ser. LV, art. I et c. II.

Quotiescumque ad hoc Sacramentum accedo, deoquor, cum immutor; digeror, cum transformor; unior, cum conformor. S. BERN. *ser. LXI in Cant.*

Inde effecti aquilæ ad cælum evolamur, ubi enim cadaver, illic et aquilæ; cadaver corpus suum vocitans propter mortem; aquilæ vocat ostendens, quod oportet eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem et cum terra nihil habere commune, neque deorsum trahi et serpente, sed assidue sursum volare. S. CHRYS. hom. XXIV, in I *ad Cor.*

Tria inter alia bona multiplicentur per hoc Sacramentum. Primum est decor castitatis; Secundum charitatis; Tertium sapor suavilitatis. S. BERN. t. II, ser. LIII, art. 2, c. II.

Audiant Christiani, qui quotidie Corpus Christi attingunt, quamnam de ipso Corpore possunt sumere medicinam, quando mulier totam rapuit de sola Christi fimbria sanitatem; sed quod nobis flendum est, mulier de vulnere Christi medicinam tollit, nobis medicina ipsa refoquetur in vulnus. S. CHRYSOLOGUS *ser. XXXIV.*

Ne veluti quidam horror esset erroris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudine quidem accepti Sacramenti, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequentis. S. AMBR. *de Sac. Cant.*

DIGNITAS. — Panis iste per excellentiam Eucharistia dicitur, id est, bona gratia, in hoc enim Sacramento non solum quælibet gratia, sed ille a quo est omnis gratia, sumitur. S. BERN. s. in *Cæn. Dom.*

Maxima dignitas apparet in hoc Sacramento, quia cum Christus constet ex tribus substantiis, scilicet Deitate, anima, et corpore, ipsa quidem Deitas excellit omnia; item anima ejus præcellit omnes animas, cum sit plena gratiæ et veritatis; item corpus ejus excellit omnia corpora, quod de sanctificato corpore B. Virginis fuit sumptum, et Divinitati unitum. S. BONAV. I. VI, c. XIII, *Comp. Th. verit.*

Audeo dicere, quod Deus, cum sit Omnipotens, plus dare non potuit; cum sit sapientissimus, plus dare nescivit; cum sit ditissimus, plus dare non habuit. S. AUGUST. tr. 48 in *Joon.*

Est communio Dei vivi, mensa divina, esca in fide perfecta, tota celestis. S. MARTIALIS, in *epist. ad Burdigal.*

Quis fidelium dubium habere possit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena celestibus jungi, unum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri? S. GREG. I. IV, *Dial.* c. LVIII.

JUCUNDITAS. — Quid suavius pane Angelorum? Quomodo ergo non est suavis Dominus, quando panem Angelorum manducavit homo? S. AUG. *super Ps.* XXXVIII.

Quot nunc dicunt: Vellem ipsius formam aspiciere, figuram, vestimenta, calceamenta? Ecce eum vides, ipsum tangis, ipsum manducas. Igitur nemo accedat eum nasea nemo resolutus; omnes accensi, omnes ferventes et excitati. S. CHRYS. hom. LX, *ad pop. Antioch.*

Quemadmodum vino isto communi mens solvitur, et anima relaxatur, et omnis tristitia seponitur; ita epoto Sanguine Domini, et poculo salutari, exuitur memoria veteris hominis, et fit oblivio conversationis secularis, et moestum peclus ac triste, quod prius peccatis argentibus premebatur, divini indulgentiæ lætitia resolvitur. S. CYPR. II, *epist. III, ad Cæcilium.*

In hoc Sacramento totalis gratiæ pinguedo continetur. Quid enim frumenti nomine, nisi Corpus Christi intelligitur? Istud frumentum habet corticem, et adipem; ut cortex sit ipsa humanitas, adeps vero sit intus latens Divinitas, quia in hoc Sacramento satiamur, eo quod in ipso nostra finalis beatitudo consistat. MICH. DE BONONIA, in *Ps.* LXII.

Eucharistia sapit amplius, quam Manna, implet et sapit edentium appetitus, et omnia carnalium saporum irritamenta, omnium exsuperat dulcedinum voluptates. S. CYPRIAN. *de Cæn. Dom.*

Saporem gratiosum valde habet ex Deitate, hoc sapore omnibus præfertur delectabilibus, nec aliquid est, quod comparari possit delectationi hujus Sacramenti; quod illa Psalmistæ auctoritate (*delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui*) confirmans ait: Si enim delectatio est, ut ait



Aspasius, diffusio naturæ super maxime conveniens, inestimabilem convenit esse delectationem super gustum Deitatis, omni gratia, et omni bono referunt. S. ALBERT. *M. de Euch. dis. III, tr. 1, c. 11, num. 3.*

Suavitatem hujus Sacramenti nullus digne exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur. S. TH. *Opusc.*

Quantæ putas dulcedinis est Sanguis hujus Sacramenti, qui de tam dulci fonte manavit, et a tam dulci fonte hauriente in tam dulce vas est transfusus? Fons enim hujus Sanguinis est sanguis in visceribus gloriose Virginis contentus; hauriens hunc fontem Spiritus Sanctus est; vas, in quod transfunditur, Corpus Dominicum est, ex quo etiam manat in Sacramentum, et ex Sacramento in corda fidelium. S. ALBERT. *M. l. c. n. 2.*

VERITAS. — Recedat omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem, qui Auctor est muneris, ipse etiam testis est veritatis. S. PASCAL. *l. de Corp. et Sang. Domini.*

Quid obscuro magnum est, si Christo Domino creditur? Christus ait: « Corpus meum, » et super hoc quispiam audeat hæsitare? Nam etsi quæ dicuntur, ardua et difficilia sunt ad credendum, fidei tamen minuitur difficultas, ubi dicentis consideratur auctoritas; noli considerare, quod dicitur, sed quis dicat, attende. S. THOM. VILLANOV. *in fest. Corp. Christi.*

Ne errares in fide, et a veritatis semitis devians, male de Christo in hoc Sacramento sentires, se dedit in cibum, dum adhuc esset passibilis, cum videretur, cum tangeretur, cum agnosceretur, cum præsens loqueretur. S. LAUR. JUSTIN. *de Euchar.*

Quidem dubitationis in hoc Sacramento remanet, quod a Christo tam expresse traditum, ab Apostolis prædicatum, a SS. Patribus orthodoxis tot centenariis annorum præfiguratum, tantisque cæremoniis, tot miraculis et prodigiis, et observantiis, quasi testimoniiis palpabilibus vides confirmatum? Tolle hoc Sacramentum de Ecclesia, et quid erit in mundo, nisi error et infidelitas? S. BONAV. tom. VII de *Præpar. ad Miss.* c. 1.

Quomodo fiet istud, ut tantus Christus sub tam parva hostia delitescat, aut qua ratione mundi Conditor in vile pectoris nostri tuguriolum subintrare velit? Prudentia tunc dietat, ad Spiritum Sanctum et virtutem Altissimi, qui nihil est impossibile, et qui nos ardentissimo amore prosequitur, spectandum esse; si enim non ederes, nisi ea, quæ intel-

lecta tantum cognoscuntur, et quomodo sint condita, et qua ratione nos alere possent, comprehendere valeres, pauca sane, et prorsus nihil ederes. SALMERON. tr. 40, c. IX.

Si modum requiris, quoniam pacto fiat, sat tibi sit audire, quoniam per Spiritum Sanctum, quemadmodum ex S. Deipara, se ipsum, et in se ipso Dominus carnem sustentavit, et nihil aliud cognoscimus, quam quod verbum Dei verum est, et efficax, et omnipotens, modus autem inscrutabilis. S. JOAN. DAMASC. l. IV, c. XIV. *Orth. Fid.*

Mirum, sed verum! Nec tamen mirum est respectu facientis. Quid enim mirum, si Omnipotens mirabilis miranda operatur? HUG. VICR. tom. II, *Spec. Eccl.*

Quando mirari coeperis, et dixerit tibi cogitatio tua, quomodo hoc esse potest? Cogita facientem, et respice omnipotentem. Albertus Magnus auctoritatem adducit S. Gregorii dicentis: Sicut Divinitas verbi Dei una est, quæ totum implet multis locis mundum; ita licet multis et innumerabilibus diebus illud consecratur Corpus, non sunt tamen multa Corpora Christi, sed unum Corpus cum illo, quod assumpsit de Virgine, et quod dedit Apostolis; Divinitas enim verbi, quæ ubique est, replet illud. Idem.

Sicut avis fovens ova, dicit Glossa; ergo si ponis sub ave unum, vel plura ova, vertit ea per naturam interius in carnem, testa manente exterius. Quanto magis, si ponas in Altari unam hostiam panis, vel duas, sive centum, sive mille, sive plures, manente panis exterius specie, Spiritus Sanctus repente interius in Corpus Christi sua virtute convertit! EUGEN. *apud Mansi, discours. 1, n. 7.*

Natura mutat unam substantiam in alteram, sicut in vile aqua mutatur in vinum, et opere apum succus florum in favum mellis; similiter in nobismetipsis panis, quem manducamus quotidie, per naturam mutatur in carnem, et gramina comesta a brutis convertuntur in carnem et sanguinem; ergo multo magis virtus verbi Christi mutare potest panem in substantiam sui Corporis. S. ALBERT. MAG. ser. XI, de *Cor. et Sang. Dom.*

Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: « Accelera, tria sata similæ commisce, et fac subcinericios panes. » Hæc est sapientia summi Patris, quæ tria ardentissimo amore prosequitur, spectandum esse; hæc sociavit. Accelera autem, quia in

momento operata est, et non per momenta temporum, ut infirma facit natura, et fecit nobis panes æternæ refectionis sub cineribus hujus nostræ mortalitatis decetos.

Sicut ad nutum præcipientis Domini repente ex nihilo substerunt excelsa colorum, profunda fluctuum, vasta terrarum, pari potentia in spiritualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, et servit effectus; dicere enim verbi operari est; dixit enim et facta sunt. Unde eodem momento, quo Christus in persona Sacerdotis profert hæc verba: « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, » creatura locum Creatori suo cedit; nam, ut S. Paschasius ait, verba Christi sicut divina sunt, ita efficacia, ut nihil aliud proveniat, quam quod jubent, quia æterna sunt: « Cælum, inquit, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, » sed facient omnia, ad quæ missa sunt, quia Patris non nisi unum, et substantivum, et consubstantiale, et sempiternum est verbum. EUSEB. EMISS. hom. v, de *Pasch.*

Justum et consentaneum est, quod adveniente pane vero, cedat materialis; neque est ejus injuria, immo jus Creatoris est, ut ei advenit honorem deferat creatura, relinquens ei penitus locum suum, et cætera, quæ ab eodem Creatore acceperat, utpote albedinem, saporem et quantitatem. GUIL. PARIS. *de Euchar.*

TEMPUS SUMENDI. — Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere; qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. S. AUG. *in Matth.*

Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo; omnibus tamen Dominicis diebus suadeo et hortor, si tamen mens sine voluntate peccandi sit. S. AUGUST. *in lib. de Eccl. Dogm.*

Si quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur; debeat illi semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur; qui semper pecco, semper debeat habere medicinam. S. AMBR. *de Sacram.*

Multo justius est, ut cum hæc cordis humilitate, qua credimus, et fatemur illa sacrosancta mysteria nunquam pro merito nos posse contingere, singulis ea Dominicis ob remedium nostrarum ægritudinum præsumamus, quam ut vana persuasionem cordis elati, vel post annum dignos eorum participatione nos esse credamus. CASSIAN.

Sciunt baptizati homines, si longo tem-

poris spatio propter simulatam religionem mystice Christo communicare recusat, ab æterna vita se procul depellere. Quippe recusatio hujusmodi quamvis ex religione proficisci videatur, et scandalum facit, et laqueos instruit. Quare oportet omnibus viribus a peccato mundari, et recte vivendi jactis fundamentis, magna cum fiducia ad sumendam vitam concurrere. S. CYRILL. *in Joann.*

Immunda es? Accede mundanda ad fontem puritatis. Esuris? Accede pasceda ad panem vivificum. Egrotas? Erit hoc efficacissimum tuæ valetudinis medicamentum. Fluxum pateris, nec sanari potes a medicis? Tange plena fide cum hæmorrhœssa fimbriam, selicet sacram Hostiam, ut purgeris. *Quidam S. Pater, apud Beirlinck. th. II, in fest. Corp. Christi.*

MODUS SUMENDI. — Quanta cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate atque animi puritate illud divinum et cœleste mysterium est celebrandum, Domine Deus, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi summis ima, humanis divina junguntur, ubi adest Sanctorum præsentia Angelorum, ubi tu es Sacerdos et Sacrificium mirabiliter ineffabiliter! Quis digne hoc mysterium celebrare potest, nisi tu Deus omnipotens offerentem feceris dignum? S. AMBR. *in Or. ante Miss.*

Sacramentum Dei altissimum sumendum est, non discutiendum; venerandum, non dijudicandum; fide sortitum, non innatum; traditione sancitum, non ratione adinventum. S. BER. *in epist.*

Rogo vos, fratres, numquid est aliquis, qui in area sordibus plena velit mittere vestem suam? Et si area sordibus plena vestis non mittitur pretiosa, qua fronte in anima, quæ peccatorum sordibus inquinatur, Christi Eucharistia suscipitur? S. AUG. de *s. cclli.*

Si quis sua conjuge non cupidine voluntatis, sed solum procreandorum liberorum gratia utitur, ille profecto sive de ingressu Ecclesie, sive de sumendo Dominicis corporis sanguinisque mysterio, suo est relinquendum judicio; quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. S. GREG. *in Registr.*

Communio tempus non est festum, atque celebratis, sed conscientia pura, vitæque a peccatis repurgata. S. CHRYS. *in orat. de S. Philogonio.*



Non alium Apostolos iudicem hic tibi attribuit, quam teipsum. Judica igitur, et explora conscientiam tuam et sic accede. THEOPHILACT. *in epist. v. S. Pauli.*

Nonne videtis, quanta infantis animi alacritate mamillas arripiunt? Qua pressione papillis infingunt labia? Non minore cupiditate nos quoque ad hanc mensam, et ad hujus calicis spirituales accedamus papillam! Immo vero majore desiderio quasi lactantes pueri gratiam Spiritus sugamus; unus sit nobis dolor, una morsitia, si hoc alimento spirituali privamur. S. CHRYS. hom. lx, *ad Popul.*

Quantum possumus, cum Dei adjutorio laboremur, ut cum sincera et pura conscientia, et mundo corde, et casto corpore ad Altare Domini possimus accedere, et Corpus et Sanguinem ejus non ad iudicium, sed ad remedium animæ nostræ mereamur accipere. In Christi enim corpore vita nostra consistit. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam, et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanatur; magis occiditur, quam vivificatur. S. AUG. ser. 1. *de Temp.*

Væ tradentibus Christum ad crucifigendum; sed vae cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus illum! Nam si qui regiam purpuram coinquant, haud secus, quam qui scindunt, puniuntur; quid mirum, si, qui immunda conscientia Christi Corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clavibus affixerunt? S. REMIG. *sup. Math.*

Non comedetis ex eo crudum quid, nec coetum aqua, sed assum tantum igni. In Eucharistia crudum agnum edunt, qui Dei præsentiam non satis expendunt. S. CHRYS. *in cap. vi. Joan.*

Quicumque sis, manum tuam expurga, et castiga linguam et labia, quæ ingressuri Christi facere vestibula. S. GREG. hom. xxi, *in Evangel.*

Hæu! quam temerarium, quamque nefarium est, cruentatis manibus tractare Virginis Filium! Quis auditus sustineret aurium? Quis oculus non confunderetur ad intuitum? Quæ mens non rapereur in excessum, ubi mundi pretium militat in sterquilinum? Non est minus detestabile, in os pollutum, quam in lutum, mittere Virginis Filium. S. CHRYS. hom. xxvii, in 1. *Cor.*

Eucharistiam indigne sumentes sanari non possunt. S. BERN. *apud Promard. l. L. c. vi.*

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

NECESSITAS. — Duo mihi permaxime necessaria sentio in hac vita, sine quibus mihi importabilis foret ista miserabilis vita. In carcere corporis hujus detentus, duobus me egere fateor, cibo scilicet et lumine. Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectionem mentis et corporis, et posuisti lucernam pedibus meis Verbum tuum. Sine his duobus bene vivere non possem, nam verbum Dei lux animæ, et Sacramentum tuum panis vite. Lib. IV, c. xi, § 4.

Necessarium mihi est, qui tam sæpe laboro et pecco, tam cito torpesco et deficio, ut vel per frequentes orationes et confessiones, et per factam Corporis tui perceptionem me renovem, mundem, et accendam, ne forte diutius abstinendo a sancto proposito defluam. Lib. IV, c. ii, § 3.

UTILITAS. — Est hoc altissimum et dignissimum Sacramentum salus animæ et corporis, medicina spiritualis languoris, in quo vitia mea curantur, passiones frenantur, tentationes vincuntur, aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incepta augetur, firmatur fides, spes roboratur, et caritas augetur et dilatatur. Lib. IV, c. iv, § 2.

Multa bona largitus es, et adhuc sæpius largiris in Sacramento dilectis tuis devote communicantibus, Deus meus, susceptor animæ meæ, reparator infirmitatis humanæ, et totius dator consolationis æternæ. Nam multam ipsis consolationem adversus variam tribulationem infundis, et de imo dejectionis propriæ ad spem tuæ protectionis erigis, atque nova quadam gratia eos intus reareas et illustras, ut, qui anxii primum, et sine affectione se ante communionem senserant, postea refectioni cibo potuque coelesti, in melius se mutatos inveniunt. Ibid. § 3.

Quoties hoc mysterium recolis, toties tuæ redemptionis opus agis, et particeps omnium meritorum Christi efficeris. Lib. IV, c. ii, § 6.

JUCUNDITAS. — Hæc est una principalis fidelis animæ consolatio, quamdiu peregrinatur a te in mortali corpore, ut sæpius memor Dei sui, dilectum suum devota suscipiat mente. Lib. IV, c. iii, § 3.

O dulcissime Domine Jesu, quanta est dulcedo devotæ animæ tecum epulantis in convivio tuo, ubi ei non alius cibus manducandus proponitur, nisi tu unicuique dilectus

ejus, super omnia desideria cordis ejus desiderabilis! Lib. IV, c. xi, § 1.

O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo, de cælo descendente, illos reficere dignaris! Verum non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades universis fidelibus tuis, quibus ad quotidianum solatium, et cor erigendum in cælum, te tribus ad edendum et fruendum. Lib. IV, c. xi, § 2.

DIGNITAS. — Non est oblatio dignior, satisfactio major pro peccatis diluendis, quam seipsum pure et integre cum oblatione Corporis Christi in Missa et Communione Deo offerre. Lib. IV, c. vii, § 4.

Mira res ac fide digna, et humane vincens intellectum, quod tu, Domine Deus meus, verus Deus et homo, sub modica specie panis et vini integer contineris, et sine consumptione a sumente manducaris. Lib. IV, c. ii, § 5.

FREQUENTIAS SUMPTIONIS. — Frequenter recurrendum est ad fontem gratiæ et divine misericordiæ, ad fontem bonitatis et totius pietatis; quatenus a passionibus tuis et vitis curari valeas, et contra universas tentationes et fallacias diaboli fortior atque vigilantior effici merearis. Lib. IV, c. x, § 1.

Propter aliquam parvam tribulationem vel gravitatem sacram ne dimittas Communionem, sed vade citius confiteri, et omnes offensiones aliis libenter indulge. Ibid., § 2.

Quid prodest diu tardare Confessionem, aut sacram Communionem? Expurga te cum primis, expue velociter venenum, festina accipere remedium, et senties melius, quam si distuleris. Si hodie propter istud dimittis, cras forsitan aliud majus eveniet, et sic diu posses a Communionem impediri, et magis ineptus fieri. Lib. IV, c. x, § 4.

Hæu! quam modicam charitatem, et debilem devotionem habent, qui sacram Communionem tam facile postponunt. Ibid., § 3.

Qui aliter se non præparat, nisi instante festo, vel consuetudine compellente, et sæpius imparatus erit. Ibid., § 7.

Super omnia cum summa humilitate cordis et supplicii reverentia, cum plena fide et pia intentione honoris Dei ad hoc Sacramentum celebrandum, tractandum et sumentum oportet Dei accedere Sacerdotem. Lib. IV, c. vii, § 1.

Omnis amans suo dilecto amatore opti-

mum et pulcherrimum præparat locum, quia in hoc cognoscitur affectus suscipientis dilectum. Lib. IV, c. xii, § 1.

Oportet autem, ut non solum te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicite conserves in ea post Sacramenti perceptionem. Nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio prius. Nam bona postmodum custodia, optima iterum est præparatio ad majorem gratiam consequendam. Ibid. § 4.

#### EXEMPLA EXTERNA.

CULTUS. — Franciscus primus, Francia Rex propter continos et implacabiles Regni sui motus bellicos, in subditos suos hæreseon, errorumque pestem, cum ingenti fidei præjudicio transfusam advertens, sequens adhibuit remedium et antidotum. Excitata pietate celeberrimam Parisiis supplicationem instituit, Divinamque Hostiam circumferre jubet, adest ipse, facemque manu præferens, aperto triumphali capite, prosequitur. Mox coactis in templo Procribus de augustissimo omnium mysterii veneratione, cultuque regia deserit eloquentia, obortisque extrema concione lacrymis, se Henricum suum, unicam Regni spem, si errores concepisset, illico Divinæ veritati impolulatum vociferatur. JOAN. RH. l. III, c. x, n. 27.

Ferdinandus III, dum avia in sylva venaretur, quod Principi intimum erat solatii, nolam audire sibi visus, eujus sonus vix præ locorum intervallo ad aures accedebat. Interrogati qui feris indagandis excitandisque discurrerant, quid rei esset, docent, via militari ad ades rusticæ morituri divinissimam Hostiam a Sacerdote deferri. Non ultra moratus Ferdinandus per obstantia et dumos, sylvamque adigens equum, eluctatusque moras, Sacerdotem libero assequitur campo, et equo desiliens comitari pergit, ut Austria cum esse scires. Venitur ad decumbentis mapale, omnia rite peraguntur. Tum Sacerdos, ut ægro animos adderet: Maecte, inquit, meliori spe, duos hodie Reges domi excepiit, Regum omnium Regem Christianum Dominum, et hunc Ferdinandum Bohemie Regem (nondum enim erat Casar) qui, ut integra esset Austriae Religio, hoc est, Regia, aurum rustico liberaliter largitus est. Idem, n. 2.



Eleonora Austriaca jungenda Ferdinando soror, et ultima Archiducis Caroli proles, constantie tamen ac pietatis facile prima. Gravissima oculorum valetudine laborans sacrificio de more intererat, et saltatorem Hostiam a Sacerdote sublata summa cum voluptate jam adoraverat, oculisque latentis Dei hauserat arcanos amores, cum subito auferri sibi diem sentit, humorumque noxiorum suffusione lucem omnem perpetuo mergi; quo casu improviso animus quamvis fortis percelli poterat, si non Austriacus fuisset; hoc usa Eleonora: Bonum factum, inquit, diem non opto, meque abunde felicem reputo, cui ultima lucis usura supremum Divinae dignationis argumentum representavit Eucharistiam; quid enim pulchrius, atque augustius in hac mortalitate videre possim, profecto est nihil. Videntis hoc animi dictum est, cui ab externis his tenebris lux major accedat. Idem, n. 3.

Sebastianus, Lusitaniae Rex, cum occurreret Sacerdotibus Eucharistiam ad aegros deferentibus, semper solebat equo desilire, magnaque reverentia ad usque decumbentis aedes comitari, ac ne presentie Majestate animos domesticorum percelleret, dum omnia intus rite peragerentur foris ad januam, et quidem de genu praestolari, ac Sacerdotem sacras ad aedes eadem pompa reducere. Idem, n. 6.

Joannis Riberæ, Patriarchæ Antiocheni, Religio non una significatione contenta, in omni vita, que illi longissima contingit, se se pulcherrimas per actiones exercuit. Ergo quotiescumque tanti mysterii nomen audisset, caput aperire, quod deinde in mores promanavit; de illo ad concionem frequentissime novo semper lectissimarum sententiarum delecto dicere: Augustissimam cellam, et Sacerdotum Collegium, ejusdem honori sumptibus immanibus dicare, parum fuerit; illud profecto, vel ad elegantiam pietatis, vel ad populorum utilitatem longe eximium fuit, nobilissimæ gentis Riberæ abjectis insignibus, ea deinde gemma signavit, in qua Calix cum sacra patina et Hostia, Christiano more esset exculptus, duabus hinc inde auribus cum igne, addita epigraphæ: *Tibi post hæc quid faciam, fili mi? Deum ut latius ea pertineret Religio, novam invenit salutationem pietatis plenissimam: Laudetur Sanctissimum Sacramentum.* An non hoc sit in Eucharistiæ veluti transire

patrocinium, atque palam testari, ejus se Spiritu vivere? Idem, n. 6.

Cajetanus Thianeus, Theatinorum fundator, a primis tenebris ad usque matutinum Sacrificii tempus, silens, totusque sibi intentus perstabat, horasque plerumque octonas Divinae commentationi impendebat; tum severe excussum animum arcana confessione purgabat, atque hoc potissimum modo comparatus ad sacrum Altare, nescio quæ Divini amoris spirans incendia, succedebat. Hæc cum tanto ambitu peragerentur, quæ tamen Divini epuli famæ erat, quotidie perlitabat. Idem, n. 15.

Anglus quidam 400 aureis ob Missam auditam damnatus, muletam, quam in luero ponebat, ut persolveret, aureos Lusitanicæ notæ longe pulcherrimos, unde conquisitos, hæretico quæstori enumerabat; pecunie fulgorem admiratus homo impius, mirum sibi videri dixit, tanta diligentia multæ persolvende id auri fuisse coactum; tum Catholicus: Scito, inquit, cum nihil usquam Divino Sacrificio pulchrius sit, ejus in pretium me pulcherrimum studio aurum comparasse, et quoniam ea te momordit cura, ut animum tibi penitus aperiam, data etiam opera, Crucis nota percussum aurum, pro Eucharistiæ adoratione redimenda altro a me quæsitus scias, quod mira quædam et arcana sit Crucis atque Eucharistiæ cognatio, eaque hominibus admodum salutaris. O dicta Lusitanico ipso auro spendiora, et religiosissimæ mentis consignata fastigio. Id. n. 19.

Angerus, primus in Japonia Christianus, affirmabat, cum omnia sibi in Christiana Republica vehementer probari, tum nihil melius, aut quo magis animus aperetur, ipso Christi corpore sibi videri, et post illud arcana scelerum expiatione. Itaque mirari se admodum, si qui forte reperirentur, qui tantis paratis bonis non avide atque jeuende fruerentur. Plus sapuit Barbus iste, quam plerique hodie apud nos, qui stolidam quædam abstinentia dispiciunt. Id. n. 21.

Dominius Ansalonius novum vix attingens annum, et summa Religione sacrae acumbere mense, et Eucharistiam quæsitissime colere jam didicerat. Nam si forte ad aegros deferenda esset, ac nolæ pulsus admo-neretur vicinia, exiliebatur illico, fuitque sæpius, cum media hyeme nondum albente celo, ea significatione excitatus, vix circum-jectis vestibus, quas publicus pudor abesse non patitur, lectulo, ac domo prosiliens,

mana gestans, Divino ferculo præluxit, ac domum reversus familiam omnem somno mersam offendens, pigritiam, morasque modestissime increpavit. Adeo non genus, non ætas a virtute nos excusat. Id. n. 22.

In civitate Potosina præclarus atque a pietate mos ille obtinuit, ut Magistratus, ac Nobilitas omnis, si quando circumlate Divinae Eucharistiæ obviam fiunt, illico rejec-tis togis, palliisve, arreptisque facibus, veluti pueri honorarii, Regem Regum comitentur, illustriori nobilitatis ac potestatis commendatione, quam si per ineptam gravitatem Magistratus insignia deponere indignarentur. Id. n. 26.

Impegerat Leoni Pereriæ nobilissimo præfervidi ac plene militaris anîmi adolescenti, colaphum gregarius miles, fugamque arripnerat. Sed non tam leves hujus pedibus timor, quam ira et furor Pereriæ alas addidit. Assequitur in templo, injectaque altera manu, elatum altera pugione, ira furens, ac frendens jugulo adprimebat: Tum miser ille visa, quam forte Sacerdos vicinam ad aram sustulerat de more, hostia Divina: Per hæc te, inquit, obsecro, parce! Simul precantis vox, simul nolæ pulsus, furentis juvenis animum advertit, qui fracto repente impetu, exclamavit: Hæc te juvat! Simulque mucronem vagina recondidit. Quod violata sacri loci reverentia peccaverat, domito ad Eucharistiæ presentiam furore diluit. Hujus profecto iracundiæ Sol Divinus nequaquam occidit, qui ejus lumen, iræ inter atque furoris tenebras præclare vidit, ac veneratus est. Id. n. 35.

In Annalibus Ecclesiasticis de quodam hæretico Severi sectatore legimus, quod servum quemdam habuerit Catholicum, Deo pariter et ipsi valde fidelem, qui juxta illius temporis consuetudinem S. Eucharistiam in domum suam summa cum reverentia reportatam, et in armario quodam repositam habebat, ut eadem in necessitatibus occurrentibus uti, seque cibare posset. Accidit autem, quod cum servus ille procul a domo profectus fuisset, hæreticus dominus ejus, qui sæpius ex curiositate Sacrosanctas illas species videre concupierat, prævidens servum tardius domum reversurum, a dæmone instigatus, eisdem in ignem projicere decreverit; cumque hoc ipsum executurus ad prædictum armarium accederet, invenit (res profecto mira atque stupenda) omnes illas species in

spicæ et aristas triticeas germinasse. Unde timore correptus elata voce: *Kyrie eleison!* acclamavit, atque cum omnibus familiaribus et domesticis suis ad Ecclesiam Seleucia Episcopi recepit, miraculum manifestavit, ac una cum multis aliis de hujus Divini frumenti veritate convictus, errorem suum est detestatus. S. Gregorius in quadam homilia ita scribit: Quia per Prophetam dicitur: *Omnis caro fenum* factus homo fenum nostrum verit in frumentum, qui de semetipso ait: «Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet.» Unde et natus in præsepio reclinatur, ut fideles omnes, videlicet sancta animalia, carnis suæ frumento reficeret. BARON. ann. 713, n. 24.

S. Philippus Nerijs, cum quotidie faceret, adeo liquidas sacri Sanguinis haustu hauriebat voluptates, ut, cum eo mysterii ventum erat, miris modis gestiret, atque exundantem magno cordis æstu lætitiæ vix caperet. Itaque avide sugebat, ut sacro calici aurum, quo argentum superinduci solet, sæpius lino-gendo detergeret, notabili tantæ pietatis vestigio. Tantis animi motibus cum jam impere non posset, primo ministrum propius accedere vetuit, ne conspiceretur; verum quia curta ea erat providentia, petita Pontificis venia secreto in cubiculo faciens, plene-que auro utens, ubi Divina protulerat verba, facessere omnino jubebat; dein duas tresve solidas horas, vel stans, vel extrema jam senecta sella sedens, in eo tripudio eximebat. Neque divinis modo epulis pietas incalescebat, verum ipsius calicis attractu adeo exhilarabatur, ut ea gratia sæpiissime tractaret. JOAN. RUO. L. III, c. 1, n. 11.

De Ruperto Abbate S. Thomas de Villanova tradit, quod, dum humilitatis instinctu characterem admittere Sacerdotalem detrectaret, tandem agnitæ voluntati Divinae acquiesceret, se consecrari permisit. Ipsa autem nocte, qua primum celebravit Missæ Sacrificium, tali eum apparitione dignatus est Dominus. Nocte illi in somnis Christus apparuit (verba sunt Sancti Arehipræsulis) corpore quidem publico, sed occultata facie, ut ab eo vultus ejus videri non posset, qui ei membratim sic impressus est, ut neque sigillum cere tam intime imprimi posse videretur, tantaque fuit ex hæc impressio in eo orta delectatio, ut excitatus agnosceret, quia, nisi cito voluptas illa pertransiisset, animam illius suo impetu secum a corpore rapuisset; unde ex illa tunc experientia se



didicisse asserit, quam verum est, quod scriptum legerat: « Non videbit me homo, et vivet; » impossibile enim videbatur, torrentem illum voluptatis, viventem in carne spiritum diutius sustinere posse. S. THOM. VII. conc. II. in *fest. Corp. Christi*.

Pater quidam Capucinus, Laurentius Brundisius nomine, ut P. Rho refert, octo continuus horis post Communionem inter suavissimas delicias consueverat extases, quæ licet gravi premeretur malo podagra, facientibus tamen ad Altare ministrare summas delicias computabat, vere utique devotus hic Dei servus illas degustare visus est panis Sacramentalis illecebras, quas B. Laurentius Justinianus de mystico hoc Manuagens panis sequentibus expressit verbis: Exhibuit se, inquit, ut tecum habitet, ut de te lætetur; suis tecum lætibus perfruat, quemadmodum in Sapientia volumine testatur, dicens: « Et deliciae meae esse cum filiis hominum; » non quidem ut suas a filiis hominum caperet delicias, sed ut cum filiis hominum communicet proprias. De eodem quoque Dei servo idem tradit auctor, quod dum in sacra *Æde* Lauretana Missa Sacrificio inserviret, perpetuis fluebat lacrymis, quas illi admirabilis quædam eliquabat animi dulcedo. RAO, l. III, c. 1, n. 11.

De Seraphica virgine Maria Magdalena de Pazzis Carmelitana idem auctor tradit, quod in juvenili ætate a matre communicante avelli nequaquam potuerit; qua de re interrogata, intimum latentis Dei vicinitate sensum voluptatis haurire, atque incredibili, quem sentiret, odore Divinitatis recreari se mire, simpliciter respondit. Ib. n. 13.

P. Bollandus de excessivis, quas B. Angela de Fulgino in Mensa Sacramentali experiebatur, consolationibus prolixè discurrebat; inter alia vero ipsammet Sanctam de se dicentem introducit: Quando communico, Hostia extenditur in ore, et non habet saporem panis, nec carnis istius, quam comedimus, sed alium saporem carnis, sed saporis sapidissimi, quem nescio assimilare alicui de hoc mundo. MANSI, disc. XI, n. 6.

Rudolphus, Comes Halsburgicus, in Imperatorem electus est, quod Eucharistiam ad moribundum comitatus, equum suum Sacerdoti concessisset. FABER, in *festo SS. Trin.* con. IX, n. 2.

Cum quidam miles consuesset, quoties Eucharistiam transferri viderat, genuflex-

tere, et quondam novis vestibus indutus consuetudinis retinendæ gratia in lutosam licet terram descendens se prostrasset, magno miraculo vestes ab omni macula servatas deprehendit. *Spec. Ec.* vi. ex 72.

Ferdinandus II, quotannis Christo triumphanti, nudo capite, sola florea redimitus corolla, facem dextra præferens, famulatus est. Quando intranti aut exeunti ex aula occurebat Sacerdos Eucharistiam deferens, illico curru desiliebat, et fixis in lutulentam etiam humo genibus Deum adorabat, et Sacerdotem ad agrum comitabatur. Turbatis rebus, Eucharistiam publice jubebat exponi. *Vita*, c. 4.

Cum quidam Sacerdos in Italia per campum, in quo asini pasebantur, cum Eucharistia transiret, illi ex utroque via latere repente discreti procumbentes in genua illum exceperant; deinde secuti expectarunt, donec ab agro recederet, et benedictione impertita eos dimitteret. *Hist. Soc.* p. I, l. II, n. 27.

Salsetani in India miro honore SS. Christi Corpus prosequuntur, cum ad agrum deferunt, non enim solum cum facibus occurrunt, sed etiam vias purgant, domum agris, aliasque vicinas ramalibus exornant. Cum SS. Eucharistia in Ecclesia asservari cepta est, Christiani aliqui in armis jejuni vigilarunt. *Annal.* 1589, f. 836.

Ovis a S. Francisco nutrita, cum Fratris Ecclesiam ingrediens, cum elevaretur S. Eucharistia in Missa flexis genibus Creatorem suum reverebatur. Idem agnellus Coletæ; idem boves, cum non procul Ingolstadt Pastor Eucharistia particulam in baculo suo asservatam, in terram coniecto post boves baculo, projecisset, fecerunt. DAUROLT, c. III, tit. vi, n. 2, 3, 4.

Cum Sacerdos quidam pyxidem, in qua Eucharistiam portabat, amisisset, apes convolantes Sacrarium ex cera miro artificio illi composuerunt. Alias Eucharistia a muliere in alveari posite capellulam elegantem extruxerunt. Item alia vice eidem Eucharistia a furibus sub alveare projectæ sexies de die suavissimo cantu reverentiam exhibuerunt.

Carolus V, in Comitibus Augustanis, et Philippus II, aperto capite, faces manibus gerentes Vener. Sacramentum comitatus sunt. Cumque Philippus moneretur, ut ob solis æstum cavendum caput tegeret, respondit: Hodie sol non urit. Ib. tit. 6, 7, 8.

Petrus Savedra S. Didaco devotus, singu-

lis diebus in sacello ipsi dieato Sacrum audiens, quoties divina Hostia attollebatur, audiebat sacrum cadaver intra loculum commoveri, tanquam ad præsentem Dominum adorandum assurgeret, simulque suavissimum odorem afflari sentiebat, qui aliquanto tempore permaneret. FABER in *fest. SS. Trin.* con. VII, n. 2.

Cum Nicolaus, Jariensis Episcopus, S. Maurilio Ord. Præd. 1336, justa persolveret, omnibus cementibus sacrum cadaver oculos tum ad Hostia, tum ad Calicis elevationem, aperuit, et mox mirifica odoris suavitate omnium nares recreavit. SACCHIN, in *Borgia*, l. V, num. 254.

In civitate Potosina mos invaluit, ut Magistratus ac Nobilitas omnis, si quando circumlatæ divinæ Hostia obviam fiunt illico ereptis facibus, veluti pueri honorarii Regum Comititur. JOAN. NADASI, in *Anno hebd. cel. f.* 465.

Theodosius II, Brigantius Dux, si quando noctu ad agrum deferenda erat Eucharistia, mox aderat cum lampade, illudque comitabatur, neque suorum quemquam cessare patiebatur, monens tunc maxime id Principem officium pietatis facere par esse, quando reliqui per indulgentiam somni defecerent. RAO, *Vit.* lib. III, c. 1, § 6.

Anno 1561, cum S. Eucharistia ad agrum ferretur, quidam ovum paschale in manus tenens dicebat: Ego citius ovum hoc deglutiam, quam ægra deastrum suum. Quo dicto mox hæsit ovum in faucibus, et, cum seballem candelam pro detrudendo illo applicaret, non nisi lychnum extraxit. Jacuit ergo supinus, nigerrimus carbo mutus, desperatus. Itaque a Parocho redeunte reperitus vivere et blasphemare desit. Ib. §. 32. *Belarm. de Euch.* l. III.

Christum in Eucharistia sumptum cum pastor quidam rogaret, ut oviculum a luporaptum restitueret, subito lupus ipsam incolumem dimisit. *Spec. Ec.* dist. X, *Ec.* 6.

Cum quidam miles jamjam in extremo vite periculo constitutus, concubinam se dimittere non posse diceret, ideoque Parochus Communionem ei negaret, S. Bernardus voluntate ejus explorata porrigi Hostiam jussit, itaque illius animum convertit, ut summe exosus concubinam, nihil de illa audire amplius voluerit. Ib. dist. VI, *Ec.* 13.

Petrus Cochles, Monachus Clarevallensis, gravissimo capitis dolore vexatus cum ad Communionem accederet, ingens quasi plumbi

massa de capite ejus decidit, postea vero sumpto SS. Christi Corpore ab omni prorsus dolore liberatus est. Ib. dist. III, *Ec.* 27.

In Thuringia cum Sacerdos Eucharistiam ad agrum portaret, accedens meretrix et genua flecens dixit ad Christum: Si tu es ille, qui pro nostra redemptione natus et mortuus es, rogo te per ineffabilem misericordiam tuam, ignosce mihi peccata mea. Et cum Christus respondisset: Et ego tibi ignosco peccata tua; illaque iterum diceret: Domine, loquere germanice. Denuo ille dixit: Et ego te recipio in gratiam meam. Cum illa: Et tum, Domine, suscipis, que per carnem toties te offendi? Ah gratias tibi, bene Domine Jesu! Et ex hoc momento sancte vivere incepit. *Discipul. Prompt.* lit. E.

Civis quidam Ferrariensis de se narrare solebat, se adhuc adolescentem gravibus carnis tentationibus agitatam, suus Confessarii uxorem duxisse; verum ea mortua iterum in antiquas tentationes incidisse, nec prius ab iis liberatum fuisse, quam suam alterius Confessarii sepius ad S. Communionem accesserit. *Pæd. Dowrolii*.

S. Mothildis Christum post Communionem peractam sibi dicentem audivit: Tu in me, et ego in te, et in æternum non derelinquam te. DAUR, in *Cat. c.* v, tit. 16.

S. Bernardus demonem ejicere volens, Eucharistiam assumpsit, et dixit ad illum: Adest, inique spiritus, Judex tuus, adest summa potestas; jam resiste, si potes. FAB. in *festo SS. Tr.* conc. VI, n. 4.

Ad S. Catharinam Senensem hæc quondam dixit verba Christus: Ut plenius intelligas, quam ardenti desiderio cupiam visibiscum esse, utque magis accendaris ad subigendum mihi copulandamque meæ voluntatem tuam, vide, et alta mente considera, voluisse me, ut Unigenitus meus incarnaretur, parasse insuper mensam maximi parumque agni Sacramenti Corporis ipsius, et Sanguinis, ut in cibum sumentes transformemini, mute-minique in me. Et hoc est, quod Augustino servo meo his verbis dixi: Cibum sum grandium, cresce, et manducabis me; nec tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. DAUR, l. c. t. X, *Ec.* 10.

Juriconsultus quidam a fratris filio luculentam in facie plagam acceperat, ad quam injuriam remittendam, vel deprecandam eum neuter persuaderi posset, tandem Pater quidam et Soc. Jesu hortatus eos est, ut secum coram Eucharistia parum orarent, quo



facto ita mutati sunt, ut ultro veniam offensus petere, remitterentque. *Annua Soc. Jes. 1393, in Proverb. Med. Colleg. Genens.*

In vita S. Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini, legitur, quod, cum duo viri illustres, animorum discordia inter se divisi essent, S. Patriarcha operam, et industriam suam ad illos reconciliandos sæpius interposuerit, sed irrito prorsus effectu. Die quadam vero unum ex his, qui vel maxime injurie remittendæ reluctabatur, ad se accersiri fecit; cumque in Oratorium quoddam privatum ductus fuisset, in quo præter Patriarcham, Clericum, et hunc Principem nemo alius præsens aderat, S. Patriarcha Missam exorsus est, cumque post Consecrationem ad *Pater noster* pervenisset, eunctique tres illud simul recitare incepissent, quando ad illa verba: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, » pervenerunt, Clericus Patriarchæ annuit, ut faceret, cum quo et ipse tacuit. Principe vero orationem prosequente, et dicente: « Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. » Sanctus magna cum mansuetudine eidem dixit: Vide, in quali terribili hora quid dicas Deo, quoniam sicut ego dimitto, ita et tu dimitte mihi. Tamquam ab igne statim cruciatum sentiens Princeps, cecidit in faciem, ad pedes Sancti, dicens: Quodcumque jusseris, faciet servus tuus. Et reconciliatus est inimico suo ex tunc cum omni veritate. *BOLLAND. con. II, c. XII, n. 37.*

Inda quedam, quæ Sacramenta frequentare consueverat, ab Indo ad flagitium provocata, ubi ei in mentem venit, se Communionis schedulam penes se gestare, incredibili ei constantia penes se gestare, incredibili ei constantia restitit; adeo ut, cum aliter non posset evadere, casti etiam Josephi virtutem superarit; nam toga rupta, et in impudici manibus relicta, nuda omnino ab eo profugit. *Ex. ann. 1626.*

Eximus quidam sæculi nostri Orator in oratione quadam de S. Theresia, postquam difficultates, quas Seraphica hæc virgo, ut reformationem Religionis suæ ad perfectionem perduceret, sustinuit, sicut et omnia, quæ passa et operata fuit, examinasset, subjunxit: Verumtamen nequaquam mirandum est, illam tam ardua negotia aggredi, et perficere potuisse, siquidem cum die quadam pro more suo Angolorum pane cibaretur, os suum divino sanguine adeo repleti sensit, ut sanguis, quem ore continere non poterat, per aciem et vestimenta dimanaret; unde ipsa

ex pretioso hoc sanguine spiritu et vigore adeo repleta fuit, ut ardua aggredi et perficere, molestiasque atrocissimas tolerare prævaluerit. *MAXSI, disc. XVII, n. 6.*

S. Franciscus de Sales, in epistola quadam, ita scribit: Per experientiam 23 annorum, quos in servitium animarum collocaui, manibus quasi palpare potui, quam potens sit virtus hujus Divini Sacramenti ad confirmandas animas in bono, et liberandas a malo, easque spiritualiter consolandas, et, ut uno verbo dicam, in hoc mundo deificandas, dummodo viva fide, convenientique puritate et devotione frequententur. *S. FRANC. SALES, I, II, epist. XLII.*

Cantipratensis prodigiosam quandam refert historiam, quæ 1231, cuidam Patri Dominicano evenit, qui, cum ab Hæretico persuasus, ut ejus sectaretur errores, fortiter restitisset, Hæreticus his cum verbis affatus est: Tu alia non habes fidei tæ argumenta præterquam ea, quæ ex Scriptura Sacra petuntur. Ego vero, si fidem mihi adhibueris, Christum ejusque Matrem et omnes Sanctos videre te faciam. Religiosus porro tametsi dictis ejus fidem haberet, dolum suspicatur; attamen ut promissi experiretur veritatem, illum acceptavit. Priusquam vero Hæreticum sequeretur, acceptam pyxidem, in qua Sanctissimum erat Sacramentum, subclamyde religiosa occultavit. Perductus igitur in vasti cujusdam montis speluncam, splendidum in ea invenit palatium, in corpore thronos quosdam magnificos aureos conspexit, in iisdemque sedentem Regem quandam in uno, in altero Reginam, in eorumque circuitu multos alios assistentes, velut Patriarchas et Apostolos et innumeraibilem exercitum Angolorum. Cumque Hæreticus coram illis se prosterneret eos adoraturus, Religiosus attonitus stetit, et immobilis. Cui cum Hæreticus, cur Filium Dei non adoraret, impropèrasset, Religiosus propinquius non nihil accedens, extractam foris pyxidem, Reginæ obtulit dicens: Si tu, Regina, es Mater Christi, ecce Filius tuus, quem si suscepisset, te velut Matrem Dei agnoscam. Et cum hæc protinus voce totum illud phantasma evanuit. *CANTIPR. I. II Apum. c. LV, n. 23.*

Fuit Parochus in Thuringia, qui e collo gestavit in pyxide et ad ægrum SS. Eucharistiam tulit. Tum meretrix quadam stans non longe a via, in suo lupanari expendit secum, quam graviter eum offendisset, quem

Sacerdos portaret, tanta pro se passum; et dolens de suis peccatis, occurrit per lutum profundum veloci cursu ad Sacerdotem, inquinata luto usque ad medium cruris, dicens: Sta te, domine Sacerdos! Et sic stetit Sacerdos, et ipsa prostrata in luto ante Corpus Christi, ait: Domine Jesu Christe, tu es ille, qui pro nostra Redemptione natus fuisti e Virgine, passus et sepultus, ascendens ad cælos, sedens ad dextram Patris judicaturus vivos, et mortuos. Et sic te talem iste Sacerdos portat in pyxide. Rogo te per tuam ineffabilem misericordiam, ignosce mihi peccata mea. Et respondit Jesus de pyxide lingua latina: Et ego ignosco tibi peccata tua. At illa audiens vocem de pyxide in latino, ait: Domine, non intelligo latinum. Rogo te, loquere germanice. Et statim Dominus locutus est de pyxide theutonice: Et ego te recipio in gratiam meam. Hoc audiens meretrix: Et tu, Domine, ait, me suscepisti in gratiam tuam, quæ peccavi in carne mea tam luxuriose? Gratias tibi ago, bone Jesu! Et sic conversa emendavit vitam. *Discip. Prompt. lit. E. ex. 39.*

Indi tanti estimant Eucharistiam, ut proverbium inter eos sit, eum qui semel SS. Eucharistiam acceperit, nullum amplius debere crimen committere. *ACOSTA I. VIII, c. IX.*

Paraquarienses Christiani Venerabile Sacramentum variis solent nominibus appellare: Alii, *crimen deletorem*; alii, *cordis mandatorem*; alii, *intelligentiæ datorem*; alii, *animorum consolatorem*; alii aliter appellant. Unde in Reductione B. Virginis cum impetressent, ut liceret eis Venerabile in templo asservere, tanta pietate id colere, ut non tantum prætereundo templi valvas, in genua procumbant, sed etiam cum procul e fenestrarum templi, aut portæ regione transeunt, femine ex agellis suis reverse, ac omniæ consistent ad primum templi aspectum, et humi genua ponunt, ac parvulos valentes adhuc pedibus idem facere jubent. *Ex. ann. Paraquariæ, 1626.*

B. Catharina de Raconis, tertii Ordinis S. Dominici, cum primum communicare cepit, quotidie pulchritudine corporis fiebat præstantior, ut ejus familiares admiratae formæ deus, quærent ex illa, qua arte formam excolet; quibus illa subridens respondit se uti pane masticato, intelligens Venerabile Sacramentum. *Ex. Histor. Ord. 1580.*

Augustinus Steuchus Eugubinus vili loco,

et deformi corpore natus, inter ultimæ plebeculæ homines pauperie et oris feditate deridendo habebatur. Factus Canonicus Regularis, adeo a Collegis exagitatus est, ut cum literis operam dare vellet, risu excipiente hominem, ac non lumen in cubiculum ad lucubrandum inferret, impediret. Ipse tamen nihil de discendi ardore remisit, et stragula obvolutus in templum descendens, septem totos annos ad lampadem ante aram pensilem pervigilans, nullam facultatem, linguam nobilitatem, ac scientiam nullam reliquam fecit, quam non disceret. *JOAN. RAO, I. VII, c. XII, n. I.*

Isabella, Serenissimi Francorum Regis filia, cum Mantua per plateas et viam publicam veheretur, vidit ex carpente ipso Sanctissimi Eucharistiam, quam Sacerdos ad hominem quemdam ægrolantem religiosa pompa et celebri piorum comitatu deferrebat. Tum Christianissima Regina, aut impium aut rusticanum esse considerans, omnium Dominum a se præteriri, ex vehiculo se deponi jubet; deinde pectore anhelanti et veloci cursu ad viam preperat, qua vitalis esca transitura esset; atque ex eo loco, ubi mundi liberator occurrit, gemunda comitatur. Ubi ad aedes ægroti ventum est, præ foribus rediturum Dominum flexis expectavit genibus, egredientemque illum ad templum, unde exierat, pie ac officiose reduxit. *P. JOAN. BOXIF. de Inst. pueror. I. III.*

Henricus VIII, Anglorum Rex, licet ab obedientia Sedis Apostolicæ descivisset, summo tamen honore Sanctiss. Eucharistiæ Sacramentum est prosecutus. Eam non diu ante mortem sub unica specie (quod semper observavit) suscepturus, cum e cathedra, in qua sedebat, assurgeret, genibus in terram defixis Christi Corpus adoravit. Et cum Zuvingliani, qui astabant, posse Regem illa invaletudine sedentem Eucharistiam percipere dicerent: Si me, inquit, non modo usque ad terram decernerem, ne sic quidem satis honoris Sanctissimo huic Sacramento viderer delaturus. *NICOL. SANDER. I. de Angl.*

Joannes Hunniades, Hungarorum Rex, cum ægrotaret, fertur noluisse ad se Corpus Domini deferri, dicens, indignum esse servi domum intrare Regem, jussisse se quamvis deficientibus viribus in templum vehi; ibique de more confessum divinam Eucharistiam suscepisse, atque inter Sacerdotum manus Deo animam reddidisse. *Ex. Æneæ Sylve, in Hist. Euv.*



David, Scotorum Rex, morbo correptus cum vitæ suæ terminum adesse sentiret quoad aliquid virum supererat, totum se pietati dedit. Nam indignum se reputans ad quem Corpus Christi deferretur, dum ipse ad templum accedere adhuc posset, inter duos Sacerdotes medius debilitatem ejus sustinentes, sublevantesque ad templum cum ingenti cordis humilitate processit; cumque jam in templum pervenisset, peccata re divina, sermonem ad suos ac circumstantes habuit de pietate in Deum, quam beneficis et salutaris ipsum colentibus, illi conviventibus esset, ut non modo in præsentî vita suis cultoribus præmia largiatur magnifica, sed etiam post hanc vitam certe sperare faciat, illa que omnem humanum captum excederet longissime. Quo peracto, in gena procidens, et ardentibus aliquandiu precibus Christum Dominum invocans, venerabile ejus Corpus integra fide, sinceraque devotione suscepit; inde in cubiculum reductus, convocatis primoribus, nepotes suos illis jam extremo commendavit, datoque singulis osculo, ut publicam semper utilitatem tuerentur precatus est; deinde commendata Deo anima sua, mox obtulit, feliciterque migravit. HECTOR. BOET. l. XII *Hist. Scot.*

JUCUNDITAS. — Boarus Eques post conversionem suam communicare incipiens, diu in singulis Communionibus miram dulcedinem expertus est. DAUROLT. c. IX, cit. 9, ex. 33.

Religiosus quidam quoties communicabat, miram ex sumptione Hostiæ dulcedinem perceperat, sed cum quondam asperius fratrem quemdam corripuisset, penitus eam amisit, Hostiamque felle quovis amariorum sensit. *Spec. Ex.* dist. III, ex. 35.

Alius quidam Religiosus quoties communicabat, osculum a Jesu in Hostia latente accepit; sed et ipse hanc gratiam amisit, dum ad Communionem accessit, fratre nec dum reconciliato. *ib.* ex. 33.

Cum S. Gertrudis Domino diceret: Quid in me omnium creaturarum peripsemate poteris invenire, in quo taliter delector, et hoc amplexibus et oculis sponsalis blanditatis equiparare digneris? Respondit Dominus: Hoc quod toties me tibi communico in Sacramento Altaris. Et in hoc ego in infinitum plus delector, quam omnes simul, qui umquam in humanis amplexibus et oculis sunt delectati, potuerant experiri; nam de-

lectatio amplexuum et osculorum humanorum vilis est, et cum tempore transit, suavitatis vero unionis illius, qua ego me tibi communico per hoc Sacramento Altaris, nobilissima est, nec umquam deficit, aut tepescit; sed quanto sæpius renovatur, tanto efficacius viget in æternum. *Lib. V, Insinuat. c. XXX.*

VERITAS. — Concionator quidam Hæretico promittens, se fidem ejus suscepturum, si Christum, B. Virginem et Apostolos ostenderet, cum hæc omnia Hæreticus ope dæmonum phantastice representasset, Christum in Eucharistia, quem secum attulerat, extrahens, et Matri Dei porrigens, ut si vera esset Dei Mater, Filium agnosceret et revereretur, totum cœlum disturbavit, et Hæreticum convertit. *Spec. Ex.* dist. V, ex. 129.

Vide similem hist. in *Fab. in festo S. Barthom.* con. v, n. 6.

S. Ludovicus, Rex Franciæ, dum fatali lecto decumbens a Parocho, qui sacrum illi Viaticum deferrebat, rogaretur, num crederet, Dei Filium vere in hoc Sacramento contineri? respondit: Minus hæc de re dubito, quam si hisce oculis Christum ea forma intuerer, qua cœlum ascendit. Unde alio tempore invitatus, ut puerulum in Hostia visibiliter apparentem conspiceret, noluit videre, satis sibi esse dicens, quod fidei oculo illum intueri possit, et hæc ratione ejusdem fidei meritum conservare. *Fab. in t. I, in festo S. Thomæ* con. vi, n. 3.

Matrona quadam Corpus Christi in Hostia esse non credens, eo quod ipsamet illam pinsisset, orante S. Gregorio et populo, in carnem primum, et mox iterum in antiquam speciem conversam vidit. *BREDEB. Collat. I, c. XVII.*

EUCARISTIA MINISTRATA. — Cum S. Dionysius Missam in carcere celebraret, hora, qua panis ille Angelicus frangebatur, Christus cum magno splendore apprensus Hostiam illi dedit, dixitque: Accipe hoc, chare fili, quod mox complebo tibi una cum Patre meo, quoniam mecum est maxima merces tua, et his, qui audierint te, salus in Regno meo. Nunc facias fortiter, et memoria tua erit in laude; dilectionem autem et benignitatem, quas habes semper pro omnibus, pro quibus petieris, impetrabis. *DAUR. c. v, tit. XXI, ex. 21.*

Cum S. Honoratus, Episcopus Ambianensis, celebrans, sacram Hostiam manibus contingere vereretur, Christi imago ibi depicta

manu Hostiam arripuit, eique porrexit; a quo tempore is ab omni inquinamento carnis illeus permansit. *ib.* ex. 2.

S. Onophrio Angelus per 30 annos singulis diebus Domineis sacram Eucharistiam attulit, cujus virtute omnes diaboli insidias, quas plurimas pertulerat, fortiter superavit. *ib.* ex. 4.

Joannes Patriarcha Indorum, anno 1120, narravit Callisto Romano Pontifici, S. Thomam Apostolum omni anno communicare populum sua manu, sed dignis tantum S. Hostiam porrigere, non autem indignis. *ib.* ex. 9; et *RIBAD. 21 Decembris.*

## EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius tanto in S. Eucharistiam amore et reverentia ferebatur, ut inter sacrificandum quasi diffluere videretur. Aiebat, ex frequenti Communionem illum esse fructum exitium, quod digne communicans ita virtute S. Sacramenti confirmetur, ut vel in peccatum grave non labatur, vel brevi certe refugiat. *RIBAD. in Vita, l. V, c. I, et x.*

S. Franciscus Xaverius tanto ferebatur in S. Eucharistiam affectu, ut, ubi poterat, quereretur cubiculum templo propinquum. Observatum est Malaca, cum fere in sacrio, quasi alterum Samuelem, pernoctare, humique cubare solitum, indeque in templum digressum, ante S. Eucharistiam majorem noctis partem flexis genibus inter preces transgisse. Proprium illi erat, quando commodo id fieri poterat, Eucharistiam submissis genibus ministrare populo. *Vita, l. VI, c. I.*

De S. Francisco Borgia sic loquitur Sachinus: Ultra omnem vim eloquentiæ est, erga præsentem in sacrosancta Eucharistia Dominum quanta pietate ferretur, quamque sanctis et dulcibus afficeretur motibus. Ubi cumque degereret, secretam sibi curabat cellam ad aræ maxime latus. In eam velut portum, quam licebat ereberrime, a negotiorum æstu recipiebant sese; ibi ante Deum effundebat cor suum; ibi divinitatis commercio et dulcedine fruebatur, beatæ vitæ prægustans suavitatem. Septies minimum die quovis solebat invisere. In singulis salutationibus, sub Sancti cujuspiam ductu quasi admissionali Patrono adibat, et dona quadam propria pro temporum varietate varie deposebat. *Hist. Soc. p. 3, l. VIII, n. 149.*

Quoties pedem in templum inferebat, sagacissime statim sentiebat, quo loco SS. Sacramentum asservabatur; nec umquam falleretur, etiamsi lampadæ ac cætera argumenta fallerent. Lectulo affixus, rem divinam quotidie audiebat, paneque colesti fruebatur. *Vita, l. III, c. xvi.* Tanto autem hujus cibi desiderio capiebatur, ut nemo umquam gulæ deditus, magis ejus cupidias desiderare videretur. Hinc ipso etiam Parasceves et Sabbati S. die officium canebat, ne illo bono careret. Eboræ graviter ægrotans, et lethargo captus, evigilare per vim, medicorum jussu, cogebatur; at allata Eucharistia mox expectrectus, agilis alacerque apparuit. *Lib. IV, c. iv.*

P. Thomas Sanchez SS. Eucharistiam quinquies quotidie visitabat; feria quinta (quam singulariter hanc ob causam venerabatur) octies, quo die etiam disciplinam fecit, cilicium gestavit, totoque pene die de illa cogitabat. Si tentabatur, solum hæc videri dicebat: *Jesus crucifixus, SS. Sacramentum, Beatissima Virgo*; statim omni tentatione liberatus est. Et accidit aliquando, ut jumento insidens cum mulo perterritus in præcipitium toto impetu ferretur, sed prolatus his verbis mulus repente in medio cursu substitit. *Annua 1610.*

P. Antonius Cordubensis sive domi, sive in templo verba faceret, ante Sacramentum perseverabat abjectus in genua, ex eoque accipiebat oracula, ad eam inendeat fornicem, que ad concionem ferret. Unde fiebat, ut potius tela, quam verba, mitteret, que in auditorum corda intime se penetrantia tenaciter adhaeresceret, snumque illic exequerentur opus. Aiunt instar coelestium Seraphim visum. *Hist. Soc. p. 5, l. III, n. 178.*

P. Petrus Faber sic incitabatur admiratione pietatis, ut cuperet, ubicumque terrarum hoc divinissimum Sacramentum asservaretur, posse præsens adesse venerandus, nec inde recedere. In pergrandis terris cum in conspectum urbis aut oppidum veniret, in primis Dominum venerabatur, qui in templis eorum manebat. Cupiebat perfectum aliquod templum cogitatione sibi effingere, in quo suos animus dies ac noctes habitaret, quo numquam exiret, ubi crux esset, et B. Virginis et Sanctorum imagines, sancta aqua et reliquæ sacre, sed ante omnia divinissimum Christi Corpus, que cuncta assidue ipse spectaret, et circumferret secum,



debitaque gratiarum actione et cultu, prout cuique rei conveniret, prosequeretur. Patrum ad preparationem pro Eucharistia suscipienda existimabat idoneum S. Joannem Baptistam, ut ejus officium sit, viam Domino præparare. *Vita*, l. II, c. III.

P. Leonardus Lessius, etsi gravissimis calculis aliisque doloribus cruciatus, non omitebat tamen frequentius Eucharistiam non sine grandi molestia visitare, dicens, non admodum se habere, quod de doloribus quereretur, quamdiu celeste illud epulum sibi relinqueretur. *Vita*, c. XI, n. 37 et 38.

Jacobi Fernandez unica voluptas erat, festis diebus a mane usque ad meridiem Sacris ministrare. Et notabant gustum quemdam et animi sensum in hoc obsequio etiam externi homines, templum frequentare soliti, ut vel hoc solo nomine hominem uti sanctum quemdam venerantur. *Annæe*, 1608. *Coll. Mon.* f. 881.

Silvester Landinus S. J. ubicumque locorum vidisset S. Eucharistiam, ibi repente, flexo utroque poplite, humique abjectus, adorabat. Itaque cum lutosus in via obviam divino fœculo factus esset, profundo nihilominus in ceno genna posuit; verum ubi perfunetus adorationis officio surrexit, ut earam Deo am fuisse religionem sciret, vestes nulla luti contagione fœdatis circumspexit; adeo intaminata est pietas, ut vel in medio luto non polluat. *JOAN. RUO*, l. III, c. 1, in *Nostris* n. 6.

Exturbabantur Antuerpiæ Socii Jesu ab insaniente Hæreticorum factione propriis aedibus, et ne quid secum efferrent, odiosissime exentiebantur; jam domum, jam templum habebat armatus et plurimus hostis, Sociique limine pedem extulerant, cum Joannem Boccacium ea subit recordatio in illo tumultu ac trepidatione honori divinisimæ Eucharistie haud satis consultum, quæ Sacrelegorum furori in Altari relinqueretur, nec multa conclatus, per densos latronum globos ad Altare provolat, adoratumque de genu Eucharistiam, argenteo in vase, præter ipsa Hæreticorum ora intrepidus aufert, atque ad suos revertitur, magnum secum exilii comitem ferens, ac solatium. Defixit, opinor, improvisa virtus crudeles et cædis avidos animos, et facta quedam vis divinitatis latentis, ut nihil ultra fremitum feroceæque admirationem auderent. Hujus ego hominis laudem illius, qui secum pena-

les exulit per tela, per hostes, celebritati multis nominibus antefereendam puto. Quod Trojana communis quedam cum hostibus esset superstitio, Antuerpiens ex dissidio Religionis periculum omne crearetur. *Ibid.* n. 8.

Sumptam, fluctuante stomacho, Eucharistiam, haud ita multo post eodem redundante integram adhuc, minimeque dissolutam, rejecerat æger. Dum, quid facto opus sit, consulitur, atque igne parant sacras species abolere, Julius Mancinellus occasione ultro invadens, quod vix cogitare audeamus, facit, infectamque sordibus absorbet. Miror non tam stomachi, quam animi robur, et charitatis; præsentem adfuisse mercedem, minime miror; ferunt, exinde divina libanti Sacramenta abditæ dulcedinis sensum nunquam defuisse, ut non tam animo, quam corpore ipso, laute sibi ac delicate epulari videretur. *Ibid.* n. 17.

Belmontii in Hispaniis ingens civium ac peregrinorum multitudo nostrum confluxerat in templum, ut regio adolescentes Japonicos Legatos [(quos ad Gregorium XIII ultima illa terrarum regio misit) per occasionem audiendi Sacri, posset contemplari, et gaudium, quod illorum adventus pollicebatur, coram haurire. Momenti adolescentes, ut in templum descenderent, negarunt se in illo die adire velle, malle domesticum in Saeculo procul arbitris, quod vererentur, ne admirantis, ac fausta omnia precantis multitudinis tumultu, ac salutationum procerum interpellationibus ab ea, qua divinis interesse par sit, animi attentione pellerent. Ubi quiete Sacris operam dedissent, tunc se Principibus viris ac multitudini affatim copiam sui facturos. Agnosco florentis Religionis faciem, ac teneros os, nulla adhuc duratum irreverentia, gratulorque tantam virtutem Societati, cui omnes nomen dederunt, demum accessisse, ut quam magistram habuerant, matrem etiam colerent. *Ruo*, l. C. n. 49.

Noctes sæpe integras coram SS. Eucharistia insomnes traducere, Ludovico Pontano S. J. tam solemne fuit, quam ad eandem summa quadam animi attentione adorandam interdum, ac per tenebras visitare adeo frequenter, quæcumque demum esset animi tempestas, ut sine illa esse non posse videretur, mirarenturque domestici, hominem nullius valetudinis, atque imbecillius usque viribus, tante contentioni non succumbere,

langoribus illum maximis ita perpetuo frangi, ut vix ægrum spiritum duceret; ad sacrum tamen, continuamque Eucharistie adorationem, quantum opus esset, valere. Sed nulla profecto admiratio fuit, a vite vicinia convalescere. *Ibid.* n. 21.

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut ad potandum vinum veniri non potest, nisi botrus calcetur ante, et prematur; sic nec nos sanguinem Christi possemus bibere, nisi prius Christus calcatus fuisset et pressus, et calicem prior biberet, quem credentibus propinaret. S. *CYPR. Catech. myst.* IV.

Sicut sol non diversus in se diversa operatur in rebus contrariis, utens materiis, sicut eas invenit; sic Christi gratia, quantum in ipso est, uno modo infundit se in omnes, sed diversos inveniens animos diversa in eis operatur; hunc in amorem suum misericorditer emolliens, illum juste non juvando indurans. *MANSI, dis. XXVI* n. 6.

Sicut uva in prælo duobus lignis expressa in vinum liquatur; ita, cum Christus duobus lignis crucis, pressus fuit, Sanguis ejus in potum fidelibus funditur. S. *AGG. l. de Antiq. Rit. Miss.* c. XXXIII.

UTILITAS. — Sicut alimentum corporale habet vitam corporis servare; sic hoc Sacramentum, cum sit animæ cibus, habet ipsam in gratia solidare, quæ ipsius animæ vita est. S. *BERN. s. LIII, a. 2 c. 1.*

Sicut corpora nostra convalescunt, ac firmitur sub alterna sumptione congruentium alimentorum; ita quiddam est, quod consentaneæ animam pascit, eique suggerit vegetas vires ad bonitatem consecandam. Quid illud tandem est? Nimirum quod dixit Dominus: «Caro mea verè est cibus, et sanguis meus verè est potus.» S. *BASILIIUS* in c. III, *Isaia*.

Sicut cibus appetitur, ut vivatur; sic ad eam vitam, qua vivitur, solummodo per hunc cibum pervenitur. Cibus hic ad vitam, æternam animæ conferendam collatus est, non ad ruinas sustentandas hujus miserræ vitæ, quæ vapor est ad modicum parens. S. *ASS. c. v. de Sacr. Alt.*

Sicut aqua refrigerare solet calorem; sic Eucharistia mitigat et refrigerat fomitem et concupiscentiæ æstum. In hujus mysterium Exodi 16. scribitur, quod descendente *Manna*

*de caelo, descendebat pariter et ros*; in signum, quod cum *Manna Sacramenti* in animam descendente, pariter descendat in carnem et ros gratiæ refrigerantis. S. *BERN. l. c. a. 2, c. III.*

Sicut in abundantia roris, vel imbris temporanei et serotini, germen aridum horti bene culti, vernantibus rosis et candentibus liliis; ita per orbem universum spectantur, et electus sexus virilis, et virgines sexus feminei. Quid aliud beatam Trinitatem magis, quam hoc spectaculum in hoc mundo delectet? Dicit ergo, quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germinans virgines? *RUPERT. ABRAS, l. 4 in Zach.*

Sicut nutrimenta plurimum faciunt ad decorem corporis; sic etiam delicia spiritualis cibi ad pulchritudinem castitatis, incentiva sedantur ex manducatione Sacramentali. S. *BERN. ser. LIII, a. 2, c. II.*

Sicut ex uno verbo, quod dixi: *Ego sum*, corruerunt hostes mei corporaliter in terram; sic dicto verbo meo, velicet: *Hoc est corpus meum*, fugiunt demones a tentando animas offerentium, nec audent redire ad eos cum tanta audacia, si affectus peccandi non consequeretur. *CHRISTUS, in Revel. S. Brig. l. 4, c. LVIII.*

Sicut in opulentis Principum conviviis cibus quandoque apponitur secundum apparatus quantitatatis exilis, sed in se valoris inestimabilis; siquidem gemmis, succinis, unionibus, aliisque pretiosis molitus est condimentis, ideoque et sapore, et pretio totum residuum superat apparatus; ita quoque Eucharistia exile quidem existit frumenti granum ante considerationem, nihilominus in eo sunt omnes thesauri absconditi, ideoque merito appellatur panis uberis et pinguis. Quantum augmentum augmentum capit seminatium frumenti granum? A fructu frumenti et vini multiplicati sunt. *MANSI, dis. IV, n. 7.*

Sicut sanguis Agni Paschalis fronti ædium præfixus, eas ab Angelo exterminatore præservabat; ita Demones, cum sanguinem Dominicum in nobis vident, in fugam vertuntur. S. *CHRYS. hom. 43 in Joan.*

Sicut gustato melle caligo ab oculis Jonathanæ evanuit; ita gustato corpore Christi cæcitas mentis ab animo tollitur. *BERN. in Prompt. fol. 11.*

Sicut, si quis ceræ liquefactæ aliam infuderit, alteram cum altera permisceat ne-



cesse est; sic qui carnem et sanguinem Domini recipit, cum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo, inveniat. S. CYRILLUS, *ap. Beirl.* l. c.

Sicut ignis sensibilis ea, quibus insederit, in suum traducit officium, omnibusque quomodolibet sibi propinquantibus in sui consortium tradit; ita Dominus noster et Deus, qui est ignis consumens, nos per cibum hunc Sacratissimum in sui traducit effigiem, et Deiformes efficit. S. DIONYS. *de Col. Hier.*

VERITAS. — Sicut idem sol est modo, qui fuit a principio, et una vox in auribus plurium auditur; ita mirum non est, quod idem Christus nobis detur, qui primis Christianis datus est, et quod in pluribus hostiis et locis reperiat. BRONNIAR. *in Summa*, V. *Euch.* n. 3.

Sicut fracto speculo in plures partes non frangitur faciei similitudo, quæ in eo refulcet, sed in qualibet particula integra perseverat; ita fracta Hostia Dei Filius, qui est imago Patris, non frangitur, sed integer manet sub quavis particula. *ib.* n. 6.

NECESSITAS. — Sicut sine cibo corpus diu vivere non potest, quia, cum humidum radicale, vitæ nostræ fons, sensim ab insito calore consumatur, per alimentum restaurari debet; ita nisi divinæ gratiæ, quæ sola animæ vitæ est, humor nutrimento celestis panis foveatur, necesse est, ut concupiscentiæ ardoribus quam citissime pereat. *Pædag.* *Christ.* p. 2, c. XVI, §. 1.

Sicut palme non potest ferre fructum, nisi in vite maneat; ita anima, nisi Christo in Eucharistia uniat, sterilis et arida permanebit. JOAN. XV.

JUCUNDITAS. — Sicut Hebræi, qui Manna gustaverunt, omne gustus delectamentum in eo reperierunt; ita anima celestis hoc Manna refecta, quidquid ad delectationem suam requirere potest, copiose invenit, uti Ecclesia indicat, dum ei accommodat verba illa: Panem de cælo præstitisti eis, omne delectamentum in se habentem. *Eccl. in off. Corp. Christi.*

Sicut S. Franciscus Seraphicus, B. Stanislaus Kostka, et alii, ingentem animi consolationem perceperunt, dum Christum infantulum in ulnas suas a sanctissima Dei Matre acceperunt; ita non poterit non celestibus gaudiis et deliciis affluere, qui eundem Dei Filium a Patre celesti non tantum, ut in ulnas acciperet, sed etiam intime uniret, datum credit, et meminit. *Vita.*

#### *Dispositio ad Eucharistiam sumendam.*

Sicut si pauperi diceretur, aperto regio thesauro, dari ei facultatem tantum pecuniarum inde auferendi, quantum saccus ab eo allatus caperet, haud dubie saccum capacissimum afferre studeret; ita, cum Christus in Eucharistia tantum gratiæ promittat, quantum dispositionis attulerimus, æquissimum sane est, ut maximam et gratiæ Dei capacissimam dispositionem afferamus. NIKREMB. *in lib. de Ador. in Spiritu et Veritate.*

Sicut si plures candelam accendant, omnes quidem lucem, calorem, et colorem accipiunt, sed plus ille, qui majorem habuit cererum; ita in Eucharistiæ perceptione omnes quidem accipiunt gratiam, sed plus, qui magis est dispositus et capax. S. CATHAR. SENENS. c. XXX. *Dial.*

Sicut corporalis cibus, cum ventrem invenerit malignis humoribus occupatum, amplius lædit, et nullum præstat auxilium; ita et iste spiritalis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, quam proderit, non natura sua, sed accipientis vitio; hinc Ecclesia canit: Mors est malis, vita bonis; vide paris sumptionis quam sit dispar exitus! S. CHRYS. *hom. v. sup. Matth.*

Sicut ignis fortius ac citius ligno sicco, quam viridi, exardescit; sic Christus in Eucharistia citius et copiosius amore suo incendit eum, qui a terrenis cupiditatibus exsiccatus est, quam quem iisdem adhuc repletum invenit. *Pædag. Christ.* p. 2, c. XVI, §. 3.

Sicut Arca Testamenti per terras Philistinum transiens, magnam illi cladem attulit, Israelitas autem ab interitu vindicavit; ita Arca divina Eucharistia peccatoribus fatalis est, si per eos transeat, justis autem salutem affert. *BEYRL. in fest. Corp. Christi.* *them.* II, f. 24.

Sicut sol atque ignis lutum indurat, ceram liquefacit; ita Eucharistia a peccatoribus accepta amplius eos indurat, justos vero amore divino liquescere facit. *Vita P. Balth. Alvarez,* c. VI, §. 1.

Sicut sol super fimetum lucens efficit ut amplius feteat, sole ipso nec fetente, nec aliud damnum patiente; ita Christus peccatorem ipsum sumentem magis fetere facit,

nec tamen propterea ipse inquinatur. BRONNIAR. V. *Euchar.* n. 8.

#### MOTIVA.

*Utilitas ad Ecclesiam stabilendam.* Sic enim Isaac ex instinctu divino loquens, cum diceret: « Frumento et vino stabili eum, » ex mente S. Paschasi, in sensu mystico prophetizans, asserere voluit: Populum Christianum Corporis et Sanguinis mei dono stabili; hoc est aperte dicere: Firmavi eum pane Corporis Christi, et vino Sanguinis. Quem sensum longe clarius nobis expressit Albertus Magnus, dum eundem textum in Tractatu de Eucharistiæ Sacramento explicat in hæc verba: Stabili eum, quia tota domus Jacob, id est Ecclesia, fundata est super hoc Sacramento frumenti et vini, quia materia in eo est frumenti et vini. Hinc Deus olim Agnum Paschalem manducari voluit baculis in manus assumptis; quia sicut baculus est id super quod aliquis se potest firmare, ita Eucharistia est firmamentum nostrum. Unde merito Rupertus Abbas dixit: Aufer a cælo Ecclesiæ quotidianas Salvatoris nostri hujusmodi exequias, et vide, quam merito dicat ipse Salvator: « Quæ utilitas in sanguine meo? » Refrigerante enim ea, quæ hoc modo nunc ubique calet, memoria ejus, refrigeret universa charitas, muta erit fides, claudicabit spes, conticescet magnus ille clamor sanguinis justi Abel. S. PASCH. *de Corp. et Sang.* c. XII.

*Utilitas ad virtutes acquirendas;* uti Salmeron sequentibus verbis insinuat: Virtutes Theologicæ, quæ ad salutem nostram faciunt, eorumque incrementa, nulla ratione magis nobis polliceri possumus, quam per hoc ipsum fidei et charitatis Sacramentum; quippe ejus frequentatione illæ nobis inseruntur, illæ nobis insertæ anguntur, atque auctæ perficiuntur, non secus ac cibo corporeo singule corporis partes et membra accrescunt, aut saltem conservantur. SALMERON. t. IX, tr. XXVI.

*Utilitas ad unitatem et concordiam procurandam.* Sicut enim adeps frumenti est unitivus, quia ex multis granis unus panis conficitur; sic istud Sacramentum est unitivum quia omnes digne sumentes unit et pacificat, dum eos unum corpus facit in Christo. MICHAEL DE BONON. *sup. Ps.*

*Utilitas ad unionem cum Deo obtinendam;*

uti recte advertit Sanctus Bernardinus dicens: In aliis cibis conversio fit cibi in manducantem, eo quod manducans sit nobilior et validior, quam ipse cibus; sed in hoc contrarium contingit, propter sublimitatem atque virtutem cibi, qui Christus est, ideo hunc cibum digne manducans transformatur in Christum, et non Christus in ipsum. Quo fine quemdam adducit S. Augustini textum e *Confessionibus* ejus desumptum, ubi Christus S. Præsulem ita allocutus fuit: Cibus sum grandium; cresce, et manducabis me, et non mutabis me in te, sed tu mutaberis in me. S. BERNAR. *SEN. X*, 2, s. LIV, n. 4, c. 1.

Quod egregie Petrus Pennequin his verbis confirmat: Quinta et potissima est unitas assimilationis, quæ una res alteri conjuncta, majorisque virtutis atque potentia, alteram in sui similitudinem rapit; ita ignis liquum et ferrum sibi assimilat, et calor stomachi cibum in hominis substantiam convertit. Ad eundem modum Christus in hoc Sacramentum tum congestis in communicantis mentem luminibus, tum excitatis in voluntate novis ardoribus, hominem ad quamdam sui in amando, agendoque similitudinem efformat; ita ut alterum tibi Christum in moribus, propensionibus et sermonibus inveni videaris. Quod ut assequamur, imitari nos oportet eos, qui silvestri arbori nobiles sureulos inserunt. 1. Truncum aperiunt et diffundunt, in fissura sureulum immittunt. 2. Argilla fissuram, sureuli insitionem obvolvunt, ut firmus truncus inseratur, et ab injuriis cæli defensa pedetentim arboris succo alatur, donec tandem flores et fructus efferat. Ita fides viva, verbo Dei omni ferro penetrabili subnixæ, cor Christi, tamquam nobilem sureulum communicantis cordi inserit, et amore reciproco connectit; tum argilla, hoc est, sui cognitione, et profunda demissione a superbiæ malignitate defendit, donec Divini Corporis succo vegetati paulatim in actiones Christo simillimas similimi efflorescamus, feramisque fructus sanctissimæ Trinitati, beatissime spiritibus longe gratissimos. PENNEQ. *Isag.* p. III, t. XVII, n. 9.

*Utilitas ad roborandam animam;* hinc Baronius recenset, quod fideles propter fidem incarcerati, habebant desiderium Eucharistiæ sumendi. Id quod in aliis eorumdem Annalium locis fusius prosequitur probans, fortissimam atque impenetra-